

# SANCTI STURMII

## FULDENSIS ABBATIS

### SCRIPTA QUÆ EXSTANT.

#### ORDO OFFICII \* IN DOMO S. BENEDICTI ANTE PASCHA.

(Mabill. analect. p. 151 nov. edit.)

In primis in Dominica quæ est ante Palma, id est quindecim dies ante Pascha, non cantant responsum parvulum cum *Gloria*, et secunda feria iconias velant.

Item in Dominica quæ est in olivæ benedictionem, cantant Tertiam in S. Petro residentes. Omnes legunt lectionem secundum consuetudinem. Post lectionem vero sequitur Introitus et lectio Apostoli, et gradalis ad ipsam diem pertinentes, et Evangelium de Ramis palmarum : et benedicuntur olivæ, et incipiunt antiphonam, *Hosanna filio David*. Post hæc *Ecce quam bonum*, et intrant in S. Benedictum, et dicta oratione incipiunt aliam antiphonam, *Turba multa*. Sequitur Litanía, et cum ipsa intrant ad Missam majorem. Ad ipsam legunt lectionem de Apostolo, gradalem et tractum, Evangelium, passionem Domini secundum Matthæum. Completa Missa, vadunt cum psallentio in refectorio.

Item post Palmas tantum tres noctes faciunt nocturnum. Quarta autem feria, id est in vigilia Cœnæ Domini, hora nona expleta intrant ad Missam : legunt lectiones duas, et cantant graduales duos, unumquemque cum quinque versiculis. Sequitur Passio Domini secundum Lucam. Post Completorium vero ad ipsas vigiliis signum non tangunt usque ad Missam in Sabbato sancto; nec lectores benedictionem petunt, nec in fine consueta dicunt. Similiter ad mensas agatur.

Congregati omnes in oratorio versum non dicant, nec vocatorium [Invitorium], nec presbyter complet; nec orationem dicant, nisi tantum simpliciter incipiant antiphonam. Novem psalmi dividantur in tres voces, tres, tres, tres, cum novem responsoriis majoribus, et novem lectionibus de Lamentatione Jeremiæ, et Tractatu de passione Domini. Ita agatur usque in Sabbato sancto.

Item in Cœna Domini agatur Missa ad Vesperum. Ita intrantes in refectorio, accipiant singulas biberes et panem, et quidquid eis appositum fuerit. Exeuntes vero lavat abbas pedes omnibus, et post Mandatum cœnant.

Et in nocte de Cœna Domini, quod est Parasceve, incipientes Matutinum, per singulas antiphonas extinguunt candelas singulas. Item in sexta feria ad

\* Gallice *le Dôme*.

A Tertiam legunt Passionem Domini secundum Matthæum, ad Sextam secundum Marcum : hora vero nona legunt lectionem de Osee propheta; sequitur gradalis cum quinque versiculis, *Domine, audivi*. Deinde lectio de Exodo et tractus, *Qui habitat in adjutorio*. Post hæc Passio Domini secundum Joannem sequatur. Deinde sacerdos fundat orationes XII cum totidem litaniiis. Hæc omnia expleta, adorant sanctam crucem. Acta vespera, vadant ad reticiendum.

Sabbato vero post horam nonam, pulsato signo intrent in oratorio. Dicta oratione incipiunt Lectiones XII cum IX orationibus totidemque gradalibus, et sequuntur benedictiones, et benedictio cerei et aquæ. Exeuntes vero cum litanía procedunt ad S. Petrum. Finita ibidem ipsa litanía, dicta oratione procedunt inde ad S. Benedictum cum alia litanía : et illa ibidem finita, similiter dicta oratione incipient aliam, et cum ipsa procedunt ad Missam majorem. Post Missam, peracta vespera, vadunt cum psallentio in refectorio.

Item Dominico die vadunt cum antiphona et aqua sancta per singulas mansiones. Finita omnia et completa, procedunt in refectorium cum psallentio. Secunda feria eunt cum cruce et patrocinia [*Id est reliquiis*], et aqua sancta per singulos labores : redeuntes agunt Missam in sancto Petro.

Tertia vero feria procedens juso [*Id est deorsum seu inferius*], jungentes se invicem, et salutantes se mutuo ad S. Petrum in civitate : incipientes litaniam, intrant in ecclesiam, legunt lectionem Actus apostolorum, gradalem, *alleluia*; sequitur Evangelium. Dicta oratione, incipientes antiphonam procedunt in cellam ad sancto Salvatore. Peracta autem Missarum sollempnia, incipientes antiphonam eunt in refectorio. His ita omnibus expletis, secunda et tertia feria faciunt octo lectiones; reliquis diebus usque in octava sexta et usque in Pentecosten omni nocte tres lectiones: et ad matutinum [*Laudes*]

D *Dominus regnavit, et jubilare Deo.*

In his festivitibus sunt XII lectiones, et dicitur *Dominus regnavit*, Pascha, Ascensio Domini, Pentecosten, S. Joannis Baptistæ, S. Petri, S. Laurentii, S. Martini, S. Martini, Nativitas Domini, Epiphania

Domini, Octabas Domini, Octabas Epiphaniæ, Purificatio S. Mariæ, Nativitas S. Faustini, et Jovitæ, et depositio S. Benedicti abbatis, et S. Gregorii papæ, et S. Germani episcopi. In his autem festivitibus in vigilia non processio, nec jejunium ad vesperum, videlicet octaba Domini, octaba Epiphaniæ, et Purificatione sanctæ Mariæ. In reliquis autem sanctorum festivitibus VIII lectiones.

ADNOTATIO. — Præmissus Ordo habetur in codice bibliothecæ sancti Udalrici apud Augustam Vindelicorum, scripto ab anis fere nongentis. Hunc conjicimus esse Ordinem antiquum Ecclesiæ Frisingensis, quæ etiam sancto Benedicto sacraata erat, monachus a sancto Corbiniano episcopo primitus commissa, ut alibi ostendimus. Illud observatione dignum quod Passio Domini triplex in Parasceve legenda præscribitur.

In eo Codice præmittitur alia manu vetus Calendarium seu breve Martyrologium; deinde Regula sancti Benedicti, in cujus fine legitur, *Facienti hæc vita erit æterna*. Tum sequuntur versus, *Qui leni jugo*, etc. Deinde ordo legendi libros sacros in Ecclesia Romana: postea Ordo, quem mox edidimus, cum hymnis ecclesiasticis. Item breve scriptum *de ponderibus* absque auctoris nomine, ubi hæc verba: *Unciæ XII libram efficiunt. . . . Libra una et semis heminam facit; duæ heminæ sextarium reddunt. XXIV sextaria modium faciunt, quindecim modia gomor, duo gomororum.*

Huic Ordini, propter argumenti affinitatem, subjicimus ex pervetusto Codice sancti Galli antiquas Consuetudines in monasteriis nostris olim servatas. Deinde vero epistolam seu rescriptum Casinensium ad litteras monachorum Teutonicorum de ritibus Cluniacensibus: quam epistolam in operculo cujusdam Codicis publicæ bibliothecæ Basileensis invenimus.

## ANTIQUÆ CONSUECUDINES MONASTERIORUM ORDINIS S. BENEDICTI.

(Mabill. Analect. p. 132 nov. edit.)

Patres cœnobiorum studiose sanctam regulam observare cum summa cura decertant, ut fratribus suis necessaria alimentorum et indumentorum secundum statuta sanctæ regulæ præbeant: ut omnem eis mundanæ curæ occasionem tollant, et peculiaris alicujus atque murmurationis mortiferum virus excludant, suæque professioni idoneos reddant. Nam elemosynarum largitionem, seu quamlibet oblationem, sive possessionum suarum redditus maxime in hoc expendunt, ut fratribus suis necessaria, non superflua præbeant, quatenus ab eis liberius sancti propositi observationem requirere valeant: curasque et sollicitudines rerum terrenarum postponunt, et secundum præcepta regulæ lucrands animabus studiose invigilant.

1. In oratorio summum silentium, summam psallendi reverentiam, temperamentum elevatius canendi, et ordinatissimum modum in choro standi; in omnibus agendis temperatam modulationem, ablata in omnibus festinatione confusa, ac celerrimum ad omnia signa conventum.

2. In sacrario magnum silentium, et nitidissimam administrationem, et vestimentorum sacerdotalium honestam et ordinatam valde distributionem, et signorum valde distinctum sonum.

3. In hospitali hospitum monachorum honestissimam susceptionem, segregata domo susceptionis aliorum hospitum.

4. In refectorio summum silentium, et ordinatissimam atque mundissimam cibi et potus administrationem, atque secundum regulam æqualem in omnibus pro necessitate distributionem, in omnibus providentes, ne modum regulæ usquam excedant.

5. In claustris hora lectionis summum silentium, et summum studium lectionis ab omnibus haberi:

B semper tamen in illorum habitationibus silentium et humilitas studiose observatur.

6. In dormitorio ordinatissimam lectorum positionem, et æquam ac similem stramentorum divisionem: ubi nihil pictum vel variatum atque lineum vidimus, sed neque in dormitorio hospitum.

7. Omnigenam jurationem inter eos nec audiri, nec præsumi a quoquam: et nocturnum silentium semper ab eis custodiri, sive intus, sive foris sint, quousque in capitulo versum dicant.

*Ordinem regularem apud eos qui in arce regulari polent, istum meminimus.*

1. In primis ut a vespertinis usque in capitulum, quod fit post Primam, summum silentium teneatur: et post matutinas horas non redeatur ad lectulos, nisi quando plenarium officium celebratur: vel contingat ante horam surrexisse, excepto infirmis vel præ lassitudine non valentibus, quorum imbecillitas a priore consideranda est.

2. Post lectionem autem capituli exeundum est ad opus quod præcipitur a priore cum summa cautela in Psalmorum modulatione vel spiritualium rerum conlocutionibus, ne verba otiosa subripiant, ut juxta regularem auctoritatem usque ad interrogationem non loquantur. Ista interrogatio a sapientibus consideranda est, ut paucis comprehendant.

3. Post opus, et Tertiam, et Missam, pleniter conveniatur ad lectionem in locum deputatum ab omnibus, excepto his qui in variis officiis deputantur: sed de his qui possunt occurrant, quorum conscientia sibi testis est, utrum possint, custodito summo silentio in intentione lectionis, nisi jubeat prior alicui doctiori, minus doctis fratribus vel doctrina indigentibus lectionem tradere, de cujus moribus securus sit.